



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 6. An satisfacit qui legit cum socio extra Ecclesiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

simulatio cultûs Divini. Est etiam irreverentia orationem inchoatam sine causa interrompere.

*Not.* Sufficit attentio virtualis, quæ est attentio ad Deum, resve divinas initiô orationis habita, & virtualiter perseverans in processu orationis, quamdiu non revocatur, neque expressè per volitionem expressam non amplius attendendi, neque implicite per distractionem voluntariam, ut si advertens te distrahi, mentem non revoces ad Deum, vel res divinas; nam cum attentione illa virtuali subsistit vera oratio, & actus humanus Religiosus, & sæpe attentio actualis non est in nostra potestate. Hinc non teneris repetere, quæ involuntariè distractus recitasti, cum virtualiter attenderis. Imò melius est, si non repetas, ad vitandam anxietatem, & perturbationem in recitatione Officii. Sed ubi quis advertit se distrahi, tenetur mentem statim revocare ad Deum, resve divinas, vel ad sensum verborum.

*Q 6. An satisfacit, qui legit cum socio extra Ecclesiam?*

*Resp. Aff.* Quia id congruit cum publico usu Ecclesiæ, & recitantes sibi commune faciunt, quod alternatim recitant. Sed tunc singuli debent alternos Psalmorum versus distinctè, & integrè, & voce audibili

bili à socio recitare ; ita ut unus non legat suum versum priusquam alter integrè absolverit suum, & audiatur ab alio. Nam socius non communicat in parte, quæ anticipatè dicitur, & quam non audit; & sic non potest attendendò illam facere suam: ideòque tenetur supplere, antequam suam ipsè partem recitet; non enim satisfacit præcepto nisi devotè, & attentè recitando partem Officii, & aliam audiendo. Si plures quàm Duo simul legant; debent, factò solùm duplici Choro, alternatim recitare, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; aliàs fieret contra usum Ecclesiæ. Secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam legere potest.

*Q. 7. Quanam excusant à lectione Horarum.*

*Resp. Sequentia. 1. Gravis infirmitas, ita ut sine notabili incommodo, seu noyumento, vel incremento morbi, aut periculo gravi recitari nequeant. ex c. 3. Dist. 91. In dubio ex communi sententiâ consulendus est Medicus probus, & peritus, & illius iudicio standum: quia ratione officii, & peritiæ in arte hoc iudicium ad illum pertinet. Si ipse dubitet, opus est tunc dispensatione Superioris: qui si adiri nequit, & Medicus suspicetur grave noyumentum.*